



DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

COMMERCIORVM FAVORE

IN IVRE TAM PVBLICO

QVAM

PRIVATO FRANCOFVRTENSI

CONSPICVO

QVAM

AVSPICIIS REGIIS

AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

PROPONIT

DIE XVI. APRILIS MDCCXCVI

CAROLVS FRIEDERICVS STARCK

MOENO - FRANCOFVRTENSIS.

GOETTINGAE

TYPIS IO. CHRIST. DIETERICH.



INSTITUTIONE
DE
COMMERCIORUM TAVOLE
IN HOC TOME PUBLICO
QUAM
TRIVATO FRANCOSVITATIS
CONSTITVTO

ATTENDIT
ALTERNATE
CONSTITVTO
LEGIS IN VINCULO
HOC

CAUSAS
HOC



CONSPECTVS.

Exposita instituti ratione, agitur:

De Studiis Francofurtensium in promouendis commerciis conspicuis.

I. *In iure publico.*

a) acquirendo sibi priuilegia.

1) nundinarum imperialium §. 1.

2) fori aresti priuilegiati §. 2.

3) exemptionis a vectigalibus soluendis §. 3.

4) abolitionis iuris albinagii §. 4.

5) iuris prohibendi, quo minus intra spatium quinque miliarium circa urbem, neque vrbs, neque castrum exstruatur §. 5.

6) alia nonnulla recensentur priuilegia §. 6.

b) ineundo quaedam foedera §. 7.

II. *In iure priuato,* agitur

1) de iure cambiali §. 8.

2) de concursu §. 9.

3) de communiione bonorum §. 10.

4) de libris mercatorum §. 11.

5) de Banno Iudaeorum §. 12.

6) de licentia Iudaeorum maiores percipiendi vsuras §. 13.

CONSPICUUS

De similitudine in promeritis con-

I. In fine...

- 1) ...
- 2) ...
- 3) ...
- 4) ...
- 5) ...
- 6) ...
- 7) ...

II. In fine...

- 1) ...
- 2) ...
- 3) ...
- 4) ...
- 5) ...
- 6) ...
- 7) ...



Inter omnes gentes, quae commerciis floruerunt, haec semper sub speciali legum tutela esse solebant, propriisque regebantur iuribus. Cuius quidem rei varia exempla nobis offert antiquitas. Quis enim nesciat quanto in honore fuerint in antiquitate Rhodiorum leges ad commercia spectantes? Romani, populus a commerciis diu alienus, quamvis alias superbus, suasque leges omnibus aliarum gentium legibus, solis exceptis Graecis, praeferens, tanta harum legum admiratione capti erant, ut, commerciis apud eos florere incipientibus, Rhodiorum legibus in iisdem regundis vterentur. Sed et recentior aetas magna suppeditat legum commercia concernentium exempla. Quae

A 3

cum

cum ita sint, facile apparet, quanta sit notitiae legum, quibus commercia reguntur, in urbibus mercatorii utilitas.

Cum igitur et patria mea commerciis floreat, propriisque et plane singularibus in iisdem regundis utatur iuribus, operae pretium mihi visum est, eadem paulo penitus inspicere, et praecipua eorundem capita pertractare. Longus essem, et longe a meta mihi proposita aberrarem, si singula momenta, quibus ius patriae meae a iure communi recedit, hic proferre vellem, cum specimen tantum proponere apud animum constituerim. Quod si quando licebit, unam alteramue fortasse materiam fusius explicabo.

§. I.

*De nundinis imperialibus. *)*

In Francofurtensibus priuilegiis primum locum sibi vindicant nundinae imperiales, ad promouenda commercia optima remedia. Harum posteriores, priores vetustate superant. Nituntur in obseruantia immemoriali, earumque mentio iam in priuilegio Friderici II. d. a. 1240⁽¹⁾ fit, vbi vocantur: *ein Marckt, den die Stadt von alter Gewohnheit her gehabt.*

Nundinae *paschales* originem ducunt a priuilegio Ludouici Bauari, d. a. 1330⁽²⁾, quibus a Carolo IV. anno
1357

*) In hac materia maxime commendandi sunt: Vir Perill. I. B. LEHNEMANN, qui sub praesidio THOMASII dissert. inauguralem scripsit: *De Nundinarum Moenofrancofurtensium historia iuribus et priuilegiis.* Lipsiae 1738.

ORTB, *von den zwoen Reichsmessen, so in der Reichsstadt Franckfurt am Main jährlich gehalten werden.* Franckf. 1765. 4.

(¹) Priuilegia et pacta des h. Röm. Reichsstadt Franckfurt am Main 1728. pag. 3.

(²) Eodem, pag. 18.

1357 ⁽³⁾ eadem priuilegia sunt tributa, quibus nundinae veteres gaudebant. Vtraeque anno 1349 sunt confirmatae ⁽⁴⁾, et magistratui potestas est concessa, easdem pro lubitu in commodius tempus transferendi. Secundum priuilegia antiquiora nundinae auctumnales — vti vocantur ea, quae circa Michaelis festum habentur — statim a die ascensionis Mariae incipiebant, finiebantur autem die natiuitatis Mariae. Nundinae vero paschales inchoabantur die Solis Oculi, finiebantur autem die Solis Iudica. Hodie vero campanarum pulsu nundinae indicantur, paschales die Solis Iudica et die Martis post festum paschatis, quo die initium capiunt, et auctumnales die ascensionis Mariae, et natiuitatis Mariae ⁽⁵⁾.

Et iam non amplius campanarum pulsus est signum initii et finis nundinarum ⁽⁶⁾, sed antiquus ille mos sese conseruauit. Mihi videtur priorem campanarum pulsum ideo fieri, vt mercatores se ad merces emendas, et solutiones faciendas, eo melius praepararent, et ita commercia amplificentur.

Imperator Wenceslaus ciuitati anno 1384 potestatem tribuerat, ambarum nundinarum tempus quatuordecim diebus augendi. Idem vero propter dissensiones quasdam anno 1394 ⁽⁷⁾ iussit, vt nundinae auctumnales octo diebus

⁽³⁾ Eodem, pag. 161.

⁽⁴⁾ Eodem, pag. 32.

⁽⁵⁾ ORTH l. c. §. 287. pag. 547.

⁽⁶⁾ ORTH l. c. §. 288.

⁽⁷⁾ *Privil. Buch* pag. 205 sq.

bus post festum natiuitatis Mariae, paschales vero, biduum ante diem Solis Palmarum finirentur.

Rebus sic constitutis nihilominus nundinarum tempus vagum erat, atque instabile, sed tamen ob aliarum urbium querelas mox in pristinum statum reducebatur. Inprimis autem nundinae paschales multas effecerunt molestias, quum propter maturius ipsarum initium Moeni inundationes, vias molestas redderent, et mercatoribus difficile facerent iter, eademque in hebdomadem antipaschalem inciderent, festumque turbarent. Inde iam tempore Maximiliani I. in comitiis Wormatiensibus anno 1512 habitis optatum est, nundinas vernaes in commodius differri tempus. Id tandem imperante Iosepho I. anno 1710 factum est, cum initium nundinarum paschalium in diem Solis, qui vocatur Quasimodogeniti, transponerentur. ⁽⁸⁾

Sed et haec dispositio non fuit diuturna, quum hoc modo mercatores impedirentur, quo minus nundinas Lipsienses frequentarent. Tandem Amplissimus Senatus Francofurtensis a Carolo VI. anno 1726 ⁽⁹⁾ privilegium impetrauit, vt in posterum liceret praedictas nundinas die tertia festi paschatos inchoare.

Hanc nundinarum mutationem magistratus olim propria faciebat auctoritate, quod et secundum privilegium a Ludouico Bauaro concessum ei licebat. Cum autem

⁽⁸⁾ LEHNEMANN l. c. §. 24.

⁽⁹⁾ *Privil. Buch* pag. 524.

multa semper intercederent dissidia cum statibus imperii vicinis, magistratus insequenti tempore hanc veniam ab imperatoribus impetrauit. (10)

Utraeque nundinae, tanquam nundinae imperii solennes magnis, prae aliarum urbium nundiis ac mercatibus, praerogatiuis fruebantur. Quid quod Ludouicus Baiarus in diplomate d. a. 1332 (11) declarauit, quod, si aliis urbibus priuilegia ad mercatus spectantia esset concessurus, hoc non nisi de mercatibus hebdomadalibus esse valiturum. Idem in alio priuilegio d. a. 1337 promisit; se neque Moguntiae neque ulli alii urbi nundinas aut mercatus esse concessurum, quibus iuri Francofurti quaesito quidquam detraheretur (12), quod et a sequentibus Imperatoribus est confirmatum. Semper itaque magistratui nostro vicinisque principibus curae cordique fuit ut nundinae sartae tectae seruantentur, semperque impedire studuerunt, quo minus aliae Francofurto noxiae nundinae existerent (13). Quo magis vero tuti essent et praecipue a vexis clericorum, haec priuilegia a summis Pontificibus confirmari curauerunt. (14)

Imperator Fridericus II. iam anno 1240 omnes qui nundinas Francofurtenses frequentabant specialem suam imperii-

(10) ORTH l. c. pag. 62 sq.

(11) *Privil. Buch* pag. 20.

(12) *Privil. Buch* pag. 27 sq.

(13) ORTH l. c. p. 17.

(14) ORTH l. c. pag. 49.

imperiique tribuit tutelam: (15). Ut autem in turbulentis istis iuris manuarii temporibus, ubi Germania latronum receptaculum erat, et quisque tantum audebat quantum habebit virium, nec hospes ab hospite tutus erat (16), mercatoribus proficiscentibus prospiceretur, Imperatores nonnullis imperii principibus, Moguntino nempe, Darmstadtensi, Hanouisiensi, et Palatino mandauerunt, vt mercatoribus conductum militum darent.

Quamuis autem recentiori tempore, et constituta pace publica, hoc conductu non sit opus, nihilominus antiquus ille mos est seruatus, indeque ortum est *ius conductus* (*die Geleitsgerechtigkeit*) quod ad hunc vsque diem in viridi est vsu.

Praedicti principes, equites huic vsui speciatim destinatos alunt, qui ad securitatem seruandam vias equitando percurrunt. Pro hac securitate mercatores, alique qui has vias frequentant, certam pecuniam soluere tenentur, quo soluto tesseras quae vocantur *Geleits-Zettel* accipiunt. Ab hoc tamen onere immunes sunt: eruditi, consiliiarii, et omnes qui publico munere funguntur, pharmacopolae, chirurgi, milites, alique quorum munera circa militiam versantur, vt et mulieres atque infantes.

Milites a praedictis principibus missi certa die, quae vocatur *Geleitstag* solenniter in urbem deducuntur, et

B 2

finitis

(15) *Privil. Buch* pag. 3.

(16) *Exempla* recenset ORTH I. c. pag. 78.

finitis nundinis publice, licet cum minore solemnitate, reducuntur.

Nundinarum tempore unicuique et vendendi et emendi libera est potestas, ita ut cuique peregrino, vel ipsis opificibus peregrinis, merces suas adportare, et vendere liceat, quae facultas extra nundinarum tempus concedi non solet.

Omnia haec privilegia ad commercii libertatem spectantia inde a praedicto die conductus incipiunt, cessant autem die Sabbathi tertiae nundinarum hebdomadis, hora post meridiem tertia, qua nundinas esse finitas, terno sonitu e tormento emisso significatur.

Praeter hasce nundinas solennes ciuitas nostra alios adhuc minores habet mercatus, quorum autem descriptio propter spatii angustias commode hic fieri non potest.

§. 2.

*De foro aresti privilegiato *)*

Ad promouenda commercia inseruit quoque *priilegium fori aresti* quo peregrini nundinas frequentantes tam quoad personas, quam quoad res possunt aresto detineri.

Iam

*) De hac materia PATER MEVS SVMME VENERANDVS dissertat. habuit inauguralem sub praesidio I. F. WAHLII *antecessoris huius academiae meritissimi*. Anno 1749. in cuius §. 49. de privilegiis nostrae vrbi concessis loquitur.

Iam dudum vrbs nostra hoc ius exercuit, quod ex privilegio Caroli IV. d. a. 1376 ⁽¹⁾ in quo iam mentio eius fit et protocollis iudicialibus d. a. 1380 sq. ⁽²⁾ apparet. Denique vrbs nostra specialibus priuilegiis a multis Imperatoribus est dotata, inter quae eminentiora sunt duo ab Imp. Friderico anno 1465 in quatuor hebdomadam spatio concessa ⁽³⁾, quae a multis Impp. sequentibus sunt confirmata.

Hoc priuilegium mercaturae proficuum est, cum debitores facilius conueniri, et inde creditores prius ad solutionem peruenire possint. Contrarium quidem effectum producere et libertati commerciorum noxium videtur. Et praesertim obstare videntur priuilegia Caroli IV. d. a. 1360 ⁽⁴⁾ et Sigismundi d. a. 1424 ⁽⁵⁾ in quibus omnes qui nundinas Francofurtenses frequentant in imperii tutelam suscipiuntur et ab omnibus arestis et actionibus liberantur. Sed haec priuilegia re vera non obstant, cum tantum de arestis a iudicibus aulae caesareae dictatis loquantur.

Hoc forum talem habet ambitum, vt et peregrini, nostram urbem transeuntes, etsi negotiis mercatoriis sese non immiscuerint, arestari possint ⁽⁶⁾, quod etiam in

B 3

subditos

⁽¹⁾ *Privil. Buch* p. 189.

⁽²⁾ *FRIES vom Pfeiffgerichte* p. 115 sq.

⁽³⁾ *Privil. Buch* p. 317-322.

⁽⁴⁾ *Privil. Buch* p. 163.

⁽⁵⁾ *Eodem*, pag. 264.

⁽⁶⁾ *ORTH Anmerk. Th. V.* p. 456.

subditos Electorum fieri potest, non obstante A. B. Tit. XI. §. 1. 3. (?) Elidit quoque omnes exceptiones, adeo ut neque ius de non euocando ad iudicia alia hic allegari queat.

In antiquis Imperatorum priuilegiis quae de arestis peregrinorum loquuntur saepius adiecta sunt verba: *die one ir geleitte oder troestunge erfunden werden*, ex quibus primo adpectu colligi possit, eos qui tesseris mundinibus praediti sunt ab arestis liberos esse. Sed hae tesserae cum litteris conueniunt, quos hodie *saluos conductus* vacamus.

Saepius quoque principes mercatores e territoriis suis mundinas frequentantes tutelae urbis nostrae commendarunt. Sed hoc parum utilitatis fuit, cum, si propter debita accusabantur, ius actori sine mora tributum est, ne mundinae quid detrimenti capiant.

Alia vero quaestio nobis est enucleanda, nempe: an nostra ciuitas priuilegio suo contra alias priuilegiatas uti possit? Multis enim ciuitatibus Imperatores idem ius indulerunt⁽⁸⁾, indeque dubium oritur, cum de iure communi hoc negetur.

Sed

(7) *LYDEWIG Erlaut. der goldenen Bulle* Theil I. p. 771 sq.

(8) Memoratu etiam dignum est exemplum, quod VENERANDVS PARENS in diss. cit. §. 49. exhibet. Nempe quod Norimbergenses ab eodem Friderico III. qui reipublicae Francofurtensi priuilegiatum aresti forum indulsit, eiusdem argumenti contrarium priuilegium impetrarint, ut aresta declinarent quae nocitura videbantur commodis urbis.

Sed hoc dubium plane tollitur si paullo accuratius privilegium Fridericianum inspiciamus, in quo hoc nostrae civitati concessum est, ut omne privilegium nostris contrarium contra nos produci nequeat, et omnem vim amittat, et sic haec exceptio tollitur.

Arestatio fieri potest in bonis tam mobilibus quam immobilibus. In immobilibus mandatum de non alienando aresto equiparatur. Arestatio etiam locum habet, si tertius rem possidet (*). Is mandato obsequium facere debet, sed si ipsi in hac re ius competit, contra arestum indictum protestari potest.

Res tamen alienae quae apud debitorem inveniuntur nullo modo aresto possunt detineri, si tantum dominus suas esse probet. Usque ad hanc probationem arestum indictum vires suas servat.

Excipitur tamen casus si arestus in rebus tertii ius pignoris habet.

Ad arestum autem impetrandum probe distinguas incolas et externos. In debitoribus incolis tantum urgente necessitate impetrari potest, si vel periculum in mora adsit, vel fugae suspicio, vel bonorum dilapidatio imminet. In forensibus autem hoc non aequè requiritur, cum apud hos tantum ad finem primarium, id est securitatem, debiti, respiciatur.

Is

(* Reform. Francof. h. t. §. 4.

Is qui nomine alieno arestum petit, mandato speciali praeditus esse debet; nec absque eo admittitur, nisi sit socius, et petitum ab aliis sociis ratihabeatur, aut si summa necessitas id postulet, quod tamen in petito notandum est. Aresta vero absque permissione Consulisenioris fieri non possunt ⁽¹⁰⁾. Eadem tamen potestas data quoque est collegio Scabinorum ⁽¹¹⁾, quae lite iam pendente plerumque exercetur.

Cum autem arestatio res tam ardua sit, et saepius multum ab ea pendeat, nil magis commendandum est quam ut caute fiat. Itaque iam Senatus Consulto de 16. Jul. anni 1607. consuli seniori praescriptum est: *non prius arestum decernere, quam is qui impetrare vult, debitum probauerit*. Quae probatio variis modis fieri potest. Vel per exhibitionem chirographi, tam in originali, quam in copia, quae vero vidimata esse debet, vel vidimato extractu libri mercatorii, vel per duos testes idoneos, etc.

Cum autem impetrato aresto iurisdictio fundetur, sequitur quoque, eum qui arestum impetrauit ius suum in iudicio prosequi, et lite mota ad finem peragere debere.

Terminus autem in quo hoc fieri debet, est debitore *praesente* proxima dies iuridica ⁽¹²⁾, *absente* vero mensis

⁽¹⁰⁾ ORTH *Anmerk.* 3. Fortsetz. p. 530.

⁽¹¹⁾ Id. I. Fortsetz. pag. 490.

⁽¹²⁾ Ref. Francof. l. c. §. 5.

sis spatium ⁽¹³⁾, alias arestum inualidum est. Vi autem destitutum denuo peti non potest, cum elapso hoc temporis spatio forum priuilegiatum cesserit.

In omnibus casibus autem non opus est prosecutioni, quod Ampl. Senatus in Concluso d. a. 1747. §. 1. determinauit.

Excipiuntur nempe casus: si lite iam pendente a Senatu Scabinorum ex officio iniungitur. Et si consules pendente lite in securitatem futuri iudicati, vel executionis causa arestum decernunt ⁽¹⁴⁾, et si in hoc casu ad Senatum Scabinorum prouocatur, arestum vim suam vsque ad sententiam definitiuam seruat, nec impune violari potest.

Ceterum prosecutio adhuc hodie fit in iudicio, nisi summa infra 25. florenos sit, quo enim casu a consulibus deciditur, nec ad Senatum Scabinorum trahi potest. Aresto decreto, et prosecutione mota fit citatio, et more consueto in iure proceditur ⁽¹⁵⁾.

Arestum tolli potest per praestationem cautionis ⁽¹⁶⁾, interdum iuratoria sufficit. In certis casibus res aresto detenta subbastari potest, quo tamen casu partes certiorandae sunt.

Huc

⁽¹³⁾ Eodem §. 6.

⁽¹⁴⁾ *Rathsordn.* d. r. Augusti 1747. §. 2. 3.

⁽¹⁵⁾ Ref. Francof. P. I. Tit. 15. §. 4. 10.

⁽¹⁶⁾ De natura et indole huius cautionis vid. Ref. Francof. P. II. Tit. 16. §. 8. et Tit. 17. §. 18.

Huc quoque pertinere mihi videtur pactum vrbs nostrae cum Electore Moguntino WOLFGANG, d. a. 1584⁽¹⁷⁾ puncto navigii ordinarii, quod vocatur *das Markt-Schiff*. Quo cautum est: vt vector et serui eius, aliique in eo iter facientes in causis ciuilibus iurisdictioni Electoris Moguntini subessent, tam durantibus nundinis, quam extra hoc tempus.

Hoc autem vrbs nostra sibi reseruauit, vt si vector, atque serui eius merces Francofurtum vehendas suscepissent, et ea occasione lites orirentur, id magistratus nostri cognitioni subesse.

Sin autem seruus vectoris sit ciuis Francofurtensis indistincte a nostris indicetur. Si quis ob debitum conueniatur, et vel ipse, vel bona eius in hac naui ordinaria essent, ius magistratui nostro competere, egressum et transportationem ad terram postulare, et hoc denegato in nauem irruere, et vi eripere licere. Et haec omnia non solum naui adpulsae, sed etiam soluta fieri possunt, et persecutio ad certum districtum locum habet. Nostra autem ciuitas iam antiquissimis temporibus priuilegio est munita, quo per aresta alibi decreta ad iudicia alia trahi non potest. Hoc probatur per epistolam WENCESLAI, d. a. 1390¹⁸⁾ in qua priuilegium de non euocando vrbi nostrae datur.

Hoc quoque Amplissimus noster Senatus semper defendit. Et cum iudex aulae Caesareae Rotwilensis anno

1480

(¹⁷) *Privil. Buch* p. 417 sq.

(¹⁸) *Privil. Buch* pag. 209.

1480 ius hoc violare intenderet, Senatus noster priuilegio suo nisus ab Imp. Friderico mandatum de non turbando in priuilegiis obtinuit ⁽¹⁹⁾.

§. 3.

De exemptione a vectigalibus soluendis.

Vt autem liberius commercia exerceri possint, et niuis vectigalium exactionibus non turbarentur, varia priuilegia maiores nostri sibi comparare studuerunt, quorum potiora hic recensere iuuat. Ciuitas nostra non solum in iis locis immunis est a vectigalibus soluendis, quae apud nos eodem fauore fruuntur, sed etiam Saeculo XI, XII, et XIII ⁽¹⁾, vectigalium intuitu varia obtinuit priuilegia.

Ludouicus IV. ipsi anno 1329 priuilegium tribuit ⁽²⁾ vt omnes eius ciues, — siue mercatores sint, siue non et vbicunque habitarent — per totum imperium siue terra, siue nauibus commercia tractarent, immunes essent a vectigalibus soluendis.

Idem ille anno 1336 priuilegium ipsi concessit ⁽³⁾ vi cuius intra spatium quinque milliarium circa urbem vectigal non solueretur, nullumque exstrueretur teloneum.

C 2

Quae

⁽¹⁹⁾ Ibidem, p. 338.

⁽¹⁾ ОУТН, in den Anmerk. zur Franckf. Reform. Th. V. pag. 61. putat: urbem nostram iam ante annum 1112 a vectigalibus soluendis liberam fuisse.

⁽²⁾ Privil. Buch pag. 16.

⁽³⁾ Eodem, pag. 24.

Quae privilegia Carolus IV. anno 1366 confirmavit (4), adiecitque potestatem, ut, si quis novum conderet teloneum, urbi nostrae, iisque qui ei auxilio essent, liceret, hoc teloneum vi tollere, quod ipsis neque ab imperatore, neque ab imperio vitio verteretur. Praeterea quoque promisit, se nulli telonei condendi potestatem concessurum, nisi salvo iure Francofurti quaesito.

Idem Carolus anno 1376 vectigalium solutionem ratione Francofurti et Moguntiae plane prohibuit (5), siue terra, siue navibus commercia fierent; iussitque ut hae urbes vectigal sibi inuicem haud soluerent.

Hoc mandatum quoque pie servatum est, cum Episcopus Spirensis, Adolphus Comes Nassaviae, qui simul Archiepiscopus Moguntiae erat, Hoechtsii atque Keltersbaci novum conderet teloneum, Imperator Wenceslaus anno 1379 rescripto iussit, ut teloneum tolleretur.

Eodem anno Wetteraviae praesidi, et urbibus Moguntiae, Wormatae, Spirae, Francofurto, Fridbergae, Gelnhusae, et Wetzlariae rescripsit (6), ut telonea intra Francofurtum et Moguntiam exstructa tollerent, quum inter has urbes vectigalis solutionem prohiberet.

Telonea quoque, quae Comes de Falckenstein Petterweilli, et Offenbaci habebat, plane sustulit. (7)

Cuius

(4) Eodem, pag. 173.

(5) Eodem, pag. 190.

(6) Vtraque epistola exstat in *Privil. Buch* pag. 195 sq.

(7) *Privil. Buch* pag. 249.

Cuius quidem iuris incolunitati conseruandae ciuitas nostra semper fuit studiosissima. Adeo vt anno 1399 literas prouocatorias Filuulum mitteret, cum hic vicus novum conderet teloneum. ⁽⁸⁾

§. 4.

De iuris Albinagii abolitione.

Ab hoc loco non erit alierum, si de priuilegio disseramus, quod vrbs nostra die 8. Oct. 1767 a Ludovico Gallorum rege obtinuit, quo ius alibinagii in peregrinorum odium introductum tollitur. Quod quidem commerciorum prosperitati non minus est proficuum, praecipue nundinis, quod et in eodem priuilegio diserte declaratur.

Hoc priuilegio omnes Francofurti ciues atque incolae ab isto iure adeo liberantur, vt omnia legata omnesque hereditates, siue testamento, siue ab intestato deferantur, siue mobilium nomine veniant, siue immobilium, non aliter ac ipsi Galliae ciues sibi habere possint. Porro ciuibus atque incolis nostrae ciuitatis tam quoad personas, quam quoad commercia idem fauor promittitur, quo ciues Hamburgenses fruuntur.

Hoc tamen in eodem priuilegio statuitur, vt in casum emigrationis decimam bonorum partem tam diu Galliae soluerent, ac Francofurtenses eodem iure erga Gallos vterentur.

C 3

Ciuitas

⁽⁸⁾ ORTH, *von den Reichsmessen* pag. 212, nota a).

Ciuitas quoque nostra circa iuris albinagii abolitionem eadem Galliae promisit, eademque plane iura concessit, quibus Francofurti ciues et incolae in Gallia fruerentur, Hinc quoque pacti nomine hoc negotium venire potest, cum Francofurtentes par pari referre promiserint.

— §. 5.

De iure prohibendi, quo minus intra spatium quinque miliarium circa urbem neque vrbs, neque castrum exstruatur.

Aliud quoque priuilegium, quod commercio nostro non minus fauet, in eo consistit, quod nullum castrum, aut vrbs intra spatium quinque miliarium circa nostram urbem exstrui potest.

Ius impediendi, quo minus hoc fiat, vrbi nostrae per multa variorum Imperatorum priuilegia est concessum. Iam enim Ludovicus Bavarus anno 1333 diserte iusserat, vt nemini liceret, intra duo miliaria a latere Moeni castrum exstruere ⁽¹⁾. Quod priuilegium idem ille Imperator anno 1336 eo extendit, vt intra spatium quinque miliarium ab vrbe, neque teloneum, neque castrum, quod antea haud fuit, conderetur ²⁾.

Quae tamen omnia superauit Carolus IV, qui anno 1366, duo vrbi concessit priuilegia, quibus iussit, vt neque vrbs, neque castrum intra quinque miliarium spatium circa urbem exstruerentur ³⁾.

§. 6.

(1) *Privil. Buch* p. 20.

(2) *Ibid.* p. 24.

(3) *Privil. Buch* p. 171.

§. 6.

De aliis quibusdam priuilegiis ad commercii fauorem spectantibus.

Multa alia quoque priuilegia vrbi nostrae sunt concessa, quae non minus ad commercii fauorem tendunt, vt e. g. iuris de non appellando, iuris de non euocando, priuilegium, ne ciues patriae propter causas seculares citentur ad iudicium ecclesiasticum, de iure detractiois et censu emigrationis, de iuribus fiscalibus, de iure vectigalium, de iure geranii, aliaque complura, quae autem hic pertractare angustia temporis non permittit. Haec autem priuilegia vir doctissimus, I. B. LEHNEMANN speciali dissertatione pertractauit ⁽¹⁾, ad quam beneuolum Lectorem remitto. Auctor recte laudatus, cum de codice nostro priuilegiorum loquitur, putat: multa priuilegia urbem nostram habuisse ante saeculum XIV., quae autem perierint: Hisce verbis: *Noli tamen credere, omnia quae patria mea ab Imperatoribus Regibusque Germaniae impetrauit priuilegia, in illo codice exhiberi, plurima enim, et quod maxime dolendum, notatu dignissima, fatali illo incendio, quod anno 1546 Iudaei fecerunt periere.* Et hunc in finem allegat LERSNERI Chron. Francof. T. I. C. 41. pag. 538.

§. 7.

De foederibus in commercii fauorem in iuris.

Cum in medio aeno, in turbulentis istis iuris manuarii temporibus, vbi quisque tantum audebat, quantum

⁽¹⁾ Sub Tit. de priuilegiis S. R. I. lib. reipubl. Moeno Francofurtensis. Lipsiae 1740. 4.

tum vires suae valebant, commercia tuto exerceri non possent, et propter latronum insidias mercatores summum incurrerent periculum; praecipua cura exactaque diligentia maiores nostri pacem, et securitatem publicam restituere studuerunt. Eum in finem sese cum aliis coniunxerunt, foederaque inierunt, quorum potiora hic recensere, non inutile erit.

Iam Ludouicus Bauarus reipublicae nostrae anno 1344 ius belli concessit (1). Et LERSNERVS, in chronico suo (2) innumera fere allegat exempla, quod Francofurtenses vel sese contra adgressores defenderint, vel ipsi hostes suos adgressi sint.

Quo autem magis tuta sit nostra ciuitas, eum in finem sese cum aliis iunxit. Iam Saeculis XIII et XIV. vrbes Rhenanae et Sueuicae foedera contra piratas inierunt, ex quibus postea foedus Rhenanum et Suenicum orta sunt, quorum origo et conseruatio in commerciorum favore et securitate posita erat. (3)

Prius initium traxit anno 1254, quo foedere sese iunxerunt ciuitates, Francofurtana, Moguntina, Wormatiensis, Spirensis, Bingensis, et Oppenheimensis. Intra breue tempus autem multae aliae vrbes huic foederi sese associarunt, vt numerus earum ad sexaginta sit auctus.

Milites alebant, ad defendendas eas contra latrones, et euertendas eorum arces, vt commercia tutius exercere possint.

Eundem

(1) Quod constat ex Cod. Priv. pag. 29.

(2) T. I. L. I. cap. 25. et T. II. L. I. cap. 25.

(3) ORTH von d. Franckf. Reichsmessen p. 79.

Eundem in finem Sueuicæ et Franconicæ vrbes sese iunxerunt, quæ coniunctio deinceps sub foederis Sueuici nomine inclaruit. (4)

Anno 1381 vrbes: Francofurtum, Moguntia, Wormatia, Argentoratum, Spira, Hagenouia, et Weissenburgum foedus inierunt (5) contra omnes qui eas adgrederentur, mutuumque sibi promiserunt auxilium.

Post biennium anno 1383 Comes Philippus de Falckenstein sese tredecim vrbibus transrhenanis iunxit (6): nempe Moguntiae, Argentorato, Wormatiae, Spira, Francofurto, Hagenouiae, Friedbergae, Weissenburgo, Wetzlariae, Gelnhusae, Ehenhemio, Schlettstadtio, et Pfedershemio, promisitque, eas contra omnes iniurias, eis, et confoederatis suis illatas, defendere.

Recentioribus quoque temporibus anno 1535 respublica nostra foederatis Schmalkaldicis, et anno 1683 foederi circularum Rhenani et Franconici sese iunxit. De quo vide latius LERSNERVM in Chronico T. I. p. 378 et T. II. p. 442.

§. 8.

De iure cambiali.

Ius cambiale Francofurtense tribus nititur Senatus consultiis, quorum primum promulgatum est die 18 Sept. a. 1666.

(4) LEHMANN Speyer. Chron. Lib. 7. cap. 66. DATT, de pace publ. Lib. 1. cap. 7 sq.

(5) *Privil. Buch* pag. 197.

(6) *Privil. Buch* pag. 202.

1666. Secundum die 8 Febr. 1676, quo primum renouatum, emendatum et auctum est. Tertium prodiit die 18 Junii 1739.

Quicumque in nostra ciuitate contrahendi facultate praeditus est, is quoque cambialiter sese potest obligare. Haec est regula. Excipiuntur autem:

- 1) Minores, qui quidem dummodo puberes sint, iure romano valide contrahunt. Secundum Reformationem vero Francofurtanam P. II. T. I. §. 2. contrahendi facultate destituti sunt, a quo valet ad cambia conclusio.
- 2) Opifices, aliique inferioris conditionis homines, qui ne quidem 2000 florenorum censum quotannis soluunt (*). Nisi forsam quatuor aut plures super rebus in opificio necessariis coniunctim cambium dent. Quod nisi fit, cambia eorum chirographi solummodo vim habent, verbumque *Ordre* pro non adiecto habetur. Si autem extrajudicialiter Iudaeis data sint, plane omni valore sunt destituta.
- 3) Mulieres quae mercaturam non exercent. Quarum cambia itidem non, nisi chirographi vim habent.

Quod

*) Equidem mihi non proposui fusius de iure cambiali Francofurtensi disserere, sed praecipua tantum, quantum nempe spatii angustia permittit eiusdem principia pertractare. Si qui vero in hac materia pluribus erudiri cupiunt, in Ill. D. SPANII tractatu inuenient, quibus sitim, vel ardentissimam restinguant.

(*) *Franckf. W. O. §. 8.*

Quod vero ad quaestionem attinet, an negotium cambiale per mandatarium contrahi possit? hoc quidem secundum §. 9. Ord. Cambialis nostrae omni dubio caret, dummodo mandato iusta insint requisita.

Mercatores peregrini mandatarios suos sufficiente, confirmatoque a cuiusque loci magistratu mandato instruere debent. Praeterea mandatum ita comparatum esse debet, ut non solum in rebus cambialibus, sed etiam in aliis negotiis ad mercaturam spectantibus liberam tribuat potestatem. In societate cuncti socii subscribant.

Ut vero ii, qui cum eiusmodi mandatario agunt necessaria instructi sint notitia, quilibet mandatarius mandatum suum cum copia conueniente cum originali vni e Notariis cambialibus tradere debet, qui scripturas confert, et libro suo inscribit.

Sunt autem Francofurti duo Notarii cambiales, qui ad negotia cambialia, et alia, quae occasione mercaturae occurrunt, specialiter sunt constituti et iuramento obstricti (2).

Quod vero ad ipsa attinet cambia, diuiduntur in *propria* et *trassata*. In *propriis* iuris communis principia seruantur. Obseruandum tamen quod vsurae et sors in vna eademque summa poni soleant, quo summa clarius exprimatur. Non obstante Ref. Francof. P. II. T. 12. §. 4. ibique ORTH.

D 2

In

(2) De munere eorum vid. SPAN, l. c. pag. 122.



In cambiis *trassatis* numerans valutam soluit et provisionem, quam contrahentes aut pacto constituunt, aut magistratus arbitrio permittunt, qui plerumque per duo membra delegata die Lunae in secunda nundinarum hebdomade pretium constituit.

Quo facto *trassans* numeranti cambium tradit, qui secundum §. 29. Ordinationis nostrae Cambialis plura petere potest exempla, quod tamen ante contractum cambiale initum pacto mutari potest. Si autem vni cambio satisfactum est, reliqua effectu destituuntur.

Cambia porro diuiduntur in *regularia* et *irregularia*, prout vel nundinarum tempore, vel alio ipsis satisfaciendum est. Quod ad *regularia* attinet, haec secundum §. 11. Ord. Camb. quatuordecim dies ante nundinas dari debent, in quibus ipsis est satisfaciendum, ne nimis breue sit solutionis spatium. *Irregularia* vero quouis tempore dari possunt.

Irregularia dantur vel *a vista*, si nempe statim post recognitionem, ipsis est satisfaciendum; vel *a uso*, si solutio post elapsum aliquod tempus fieri debet. Quod in Ord. Camb. nostra §. 20. ad quatuordecim dies est restrictum.

Praeter haec alia adhuc sunt cambiorum genera, v. c. *cambia interimistica*, quae *trassata* praecedere solent. Si nempe debitor cambium tam diu in semetipsum scribit, dum sciat, in quemnam scribi velit creditor. Attamen in Ord.

Camb.

Camb. nostra §. 11. sancitum est, vt verum cambium, quod interimisticum praecedere solet, intra quatuordecim dierum spatium ante eas nundinas detur, in quibus solutio fieri debet.

Sunt porro cambia propria, data super pecunia, quae in depositum tradita est — *Deposito-Wechsel* — quae autem secundum §. 23. Ord. nostrae Camb. aliis plane aequiparantur. Si numerans cambium accepit, valutam vel ipse, vel per alios exigere potest, quod posterius fit per *Indossementum*.

Hoc vero, vel mandatum continet, quo casu indossatarius tanquam mandatarius valutam exigit; vel cessionem, qua cessionarius cambii dominus fit, atque ita alii quoque cedere potest. Hoc indossementum vltcrius *Giro* vocatur, inque multis ordinationibus cambialibus prohibitum, in nostra vero permissum est, dummodo cambium, solutionis tempore nondum elapso, offeratur ⁽³⁾.

Dubium autem est, an indossementum fieri non possit nisi addito verbo *Ordre*. Negat ORTH ⁽⁴⁾, quae sententia et mihi verior videtur, tum propter §. 42. Ord. Camb. nostrae, vbi praesentanti, si de solutione cum acceptante conuenit, iniungitur, nomini suo adpositam formulam *Ordre* in hunc finem delere, vt litterae cambiales vltcrius cedi non possint; tum ob §. 44. Ord. Camb., quae

D 3

dispo-

⁽³⁾ Ord. Camb. §. 10.

⁽⁴⁾ Anmerk. zur Franckf. Ref. Th. 2. Forts. 1. pag. 591.

disponit: litteras cambiales recta via ad locum destinatum tendentes et absque vocabulo *Ordre* datas, ante tempus solutioni praestitutum, a datore, ob non acceptam valutam, non obstante acceptatione reuocari posse. Ex hisce argumentis enim mihi satis elucescere videtur, expressionem vocabuli *Ordre* esse necessariam. Quamuis aliter sentiat Vir doctissimus I. D. RUMPEL. ⁽⁵⁾

Laudatus auctor generale hoc principium cum LEXSERO Spec. 202, m. 2. et 3. assumit: Exceptiones, quae secundum ius ciuile mandatario vel cessionario possunt opponi, easdem et patitur indossatarius, nisi indoli aut naturae cambii repugnent, vel leges cambiales contrarium disponant. Ex hoc principio infert: Indossatarium in procura, vt merum et nudum mandatarium omnes pati debere exceptiones, quae indossatario obstabant. Idem quoque valere asserit de indossatario per modum cessionis tali, si indossamentum, ipsis literis cambialibus inscriptum est. Multa quoque dubia mouet contra SPANII illustrationem §. 55. Ord. Camb. quae lectu sunt dignissima.

Indossatio regulariter in quemlibet fieri potest, qui contrahendi facultate est praeditus. Cessio quoque in potentio-rem non denegatur, quod iure communi non licet. ⁽⁶⁾

In

⁽⁵⁾ In diss. inaugurali, sub praesidio I. C. КОСНИ, de quaest. quatenus indossatario exceptiones ex persona indossantis opponi queant? Giessae 1773. 4. §. 15.

⁽⁶⁾ *Ord. Camb.* §. 33.

In commerciorum fauorem, atque publicae fidei conseruationem, hoc quoque est introductum, vt tertius quilibet cambii possessor, valutam etiam absque indossamento exigere possit. Quod si vero satis sese legitimare non possit, pecunia deponitur, aut cautione sufficiente praestita traditur. (?)

Quod autem ad praesentationem attinet, haec iusto fieri debet tempore, et quidem in regularibus statim post nundinarum initium, in cambiis vero irregularibus secundum §. 27. Ord. nostrae Camb. arbitrio eius permissa est, qui cambium adquisiuit, nisi contrahentes expresse de alio conuenerint. Si remittens cambium serius mittit, aut praesentans serius offert, suo periculo id facit, et omnia inde oriunda incommoda ferre tenetur.

Praesentatione rite facta, ab arbitrio trassati pendet, num cambium acceptare velit, aut minus. Acceptatio quoque iusto fieri debet tempore. In cambiis nundinalibus acceptatio aequae ac praesentatio intra diem Lunae primae, et diem Martis secundae nundinarum hebdomadis hora nona matutina fieri debet, quamuis in tertia demum nundinarum hebdomade ipsis satisfaciendum sit. In cambiis irregularibus autem statim tempore praesentationis, nisi forte cambia e loco veniant, vbi longius spatium praefinitum est, quo casu retorsionis iure apud nos idem obtinet. (8)

Ceterum

(7) Eodem, §. 40.

(8) Ord. Camb. §. 33.

Ceterum acceptatio claris verbis cambio debet inscribi, adposito nomine, et die, et absque ullo adpendice. Solutio quoque pro parte acceptari nequit, sed tota debet acceptari. (9) Potest quoque acceptatio per mandatarium fieri, qui vero mandato a notario quodam cambiali inscripto instructus esse debet. Praeterea eiusmodi mandatum non solum principalis, sed etiam mandatarii nomen continere debet. Quod si mandatarius absque mandato agit, de damno ipse tenetur, principali ad solutionem non obligato. Iudaei non tenentur, diebus suis feriatis cambia acceptare, qui tamen non aliter habentur, quam si acceptassent, quia hoc nemini praeiudicio esse debet.

Acceptatione facta, acceptans fit verus praesentantis debitor. Cambio vero iusto tempore reuocato, ab obligatione soluendi liberatur. Cambia enim recta data ante solutionis tempus ob valutam non acceptam reuocari possunt.

Quod ad tempus attinet quo cambia soluenda sunt, secundum §. 19. Ord. nostrae Cambialis, cambia nundinalia ad summum die Sabbathi hebdomadis solutionis (vbi vocatur secunda nundinarum hebdomas) hora Secunda pomeridiana soluta esse debent. Quod si pacto constitutum sit, vt solutio tertia demum nundinarum hebdomade fieret, hac hebdomade eodem tempore fieri debet. Ceterum contrahentes aliud tempus pro lubitu constituere possunt.

In cambiis irregularibus tempus solutionis variis modis exprimitur. In cambio *a dato*, dies in quo cambium

(9) Ord. Camb. §. 30.



est datum, in computum non venit. In cambiis *a vista* solutio secundum §. 21. Ord. nostrae Camb. intra 24 horas fieri debet. Quod si solutioni plures dies aut hebdomades post recognitionem sint praefixi, solutionis tempus a primo acceptationis die incipit, die acceptationis in computum non veniente. In cambiis *a vso* intra 14 dies post acceptationem solutio fieri debet. Quae tempora stricte sunt seruanda, et solutio neque prius neque serius est obtrudenda. Praesentans suo periculo dilationem concedere potest, quod et in cambiis propriis indossatis locum habet.

Interdum acceptans post tempus solutionis dilatione fruitur, quae dilatio nomine *Respect-Tage* venit. In cambiis propriis non indossatis haec dilatio locum non habet. In cambiis vero propriis indossatis, quae trassatis equiparantur, locum habet (1°); quamuis non in omnibus cambiis trassatis in vsum veniat cambiisque nundinalibus non tribuatur, quum §. 20. Ord. nostrae Camb. de cambiis solum irregularibus loquatur et §. 23. hanc dilationem diserte excludat.

Quod ad cambia irregularia trassata attinet §. 20. hanc dilationem non nisi cambiis *a vso*, *a dato* et ultra 4 dies a recognitione currentibus tribuit.

Quod ad durationem huius dilationis attinet, §. 20. quatuor concedit dies, nec opus est causam allegare. Dies solis et feriati in computum non veniunt, quia in
his

(1°) *Ord. Camb. §. 16. 20.*

his creditor solutionem exigere omnino non potest. Interdum tamen in hac dilatione exceptio locum habet:

- 1) nemp̄e si cambium trassato offerri non potuit, quo casu is qui possidet die solutioni praefixo protestari debet.
- 2) Si eiusmodi dies (*ein Respect-Tag*) in diem incidat, quo litterae cursu publico promouentur, acceptans ante horam duodecimam ⁽¹¹⁾ ante meridiem soluere tenetur.
- 3) Iudaei, quarto huius dilationis die in Sabbathi diem incidente, proximo praecedente soluere debent. ⁽¹²⁾

Solutio ipsa vero quatuor fieri potest modis:

- 1) *numerata pecunia*;
- 2) *per adsignationem*, debitore creditori quemdam adsignante, apud quem ipsi satisfieri potest;
- 3) *per compensationem*; debitore et creditore mutuuum debitum quoad summum concurrentem tollente;
- 4) *per scontrationem*, quae itidem compensationis species est, ubi vero praeter creditorem et debitorem tertius accedit.

Adsignatio nemini invito potest obrudi, nisi forte adsignatus illico soluat. ⁽¹³⁾

Fit autem periculo adsignantis, quem quoque adsignatarii regressus tenet, nisi forte absolute acceptauerit. Quod
si

⁽¹¹⁾ *Ord. Camb.* §. 24.

⁽¹²⁾ *Eodem*, §. 38.

⁽¹³⁾ *Ord. Camb.* §. 4r.

si non fecit nec solutionem a debitore adsignato accepit, adsignanti intra octo dierum spatium (exceptis tamen diebus Solis et feriatis) adsignationem reddere debet.

Scontratio est delegatio, et secundum §. 34. Ord. nostrae Camb. omnes personae scontrantes in scontrationem debent consentire, quum alias valore sit destituta. Partibus consentientibus, tam intra quam extra nundinas fieri potest.

Solutio vero fit creditori aut eiusdem mandatario, qui vero mandato speciali instructus esse debet. Porro in eodem monetae genere fieri debet, cuius in cambio mentio fit⁽¹⁴⁾. Nullo monetae genere in cambio expresso, solutio fit in vsitato monetae genere, in cuius valore diiudicando ad solutionis locum respicitur. Ceterum ratione valoris nil interest inter solutionem pecuniariam, et solutionem per merces factam.

Ratione Iudaeorum vero hoc plane singulare obtinet, quod hi absque vlla praevia praemonitione⁽¹⁵⁾ Christianis solutionem domi offerre teneantur. In hoc quidem Iudaei durioris conditionis sunt, quam Christiani.⁽¹⁶⁾

Solutione facta praesentans acceptanti cambium apochae loco reddit.

Recu-

E 2

⁽¹⁴⁾ Ord. Camb. §. 36.

⁽¹⁵⁾ Ord. Camb. §. 37.

⁽¹⁶⁾ Huius rei exstat dissertatio Viri Ill. GOTTL. ETTLING. Sub Tit. de Iudaeorum Moeno-Francofurtensium conditione duriori, prae civibus ac incolis christianis. Giessae 1751. 4.

Recusata solutione praesentans per modum protestationis sibi prospicit, quae hoc modo fieri solet: Praesentans notarium cambialem secum in debitoris domum ducit, cambium praesentat, secutaque recusatione declarat, sese protestari, et ratione omnis damni exinde oriundi regressum contra eum sumere, qui sibi obligatus esset. Testibus hoc casu non est opus ⁽¹⁷⁾, notariis cambialibus ad negotia cambialia, commerciumque spectantia speciali iuramento adstrictis. Quod si vero deficiente notario cambiali praesentans alio utatur notario, duobus opus est testibus. An vero in protestatione debitor domi sit, an non, hoc nihil refert, quum protestatio absente eo facta, valida sit. ⁽¹⁸⁾

Notarius super protestatione instrumentum conficit et requirenti tradit. Interdum instrumentum non statim conficitur, quod *notationem cambii* adpellare solemus.

Quum protestatio regressus causa fiat, sequitur, ea in cambiis propriis non indossatis opus non esse. In cambiis vero propriis indossatis fieri debet, non obstante §. 46. quae de regressu non loquitur. ⁽¹⁹⁾

Ipsa vero protestatio tribus fieri potest ex causis:

- 1) Propter recusatam acceptationem.
- 2) Propter solutionem non secutam.
- 3) Si debitor non est soluendo. ⁽²⁰⁾

Quod

⁽¹⁷⁾ *Ord. Camb.* §. 14, 17.

⁽¹⁸⁾ *Eodem*, §. 25.

⁽¹⁹⁾ *Ord. Camb.* §. 12, 16, 20.

⁽²⁰⁾ *Eodem*, §. 22.

Quod ad primum attinet, trassatus ad acceptationem cogi nequit. Possessori vero cambii regressus contra trassantem aut indossantem saluus manet, quod et in eo casu obtinet, si is, qui acceptare debebat absens est; qui enim non adest, non acceptat. ⁽²¹⁾

Quod ad protestationis tempus attinet, idem locum habet, quod supra de acceptationis et praesentationis tempore monuimus. Interdum tamen prius quoque protestatio fieri potest, quod tamen exceptionem a regula constituit. Protestatione facta indossatus acceptare quidem adhuc potest ⁽²²⁾, sed impensas protestationis ferre, et si quis *per honore* acceptauit, huic $\frac{1}{3}$ per Centum in provisionem dare tenetur. Quod saepe fieri solet, vt mercatoris fides seruetur. In hoc acceptationis genere acceptans praesentanti protestationis impensas restituere debet ⁽²³⁾, qui vero deinde locum eius occupat, regressumque contra remittentem habet. Solent autem mercatores prudentes schedulas dare, quae *Adress-Zettel* vocantur, eoque tendunt, vt, vno acceptationem recusante, alius adiri possit.

2) Protestatio ob solutionem omissam locum habet, si trassatus acceptauit, in termino vero solutionis non soluit. Quamuis acceptans hoc casu verus possessoris debitor sit, protestatio tamen regressus contra indossantem causa necessaria est.

E 3

Si

⁽²¹⁾ Eodem, §. 16, 20.

⁽²²⁾ *Ord. Camb.* §. 18.

⁽²³⁾ Eodem, §. 14.

Si acceptans in solutionis termino pro parte tantum soluere velit, praesentantem hoc accipere et quoad residuum protestari oportet ⁽²⁴⁾ quod si acceptans protestatione facta soluere velit, idem locum habet, quod statui-
mus in casu praecedente. Si vero protestatione iamiam cursu publico ad eum, cuius interest, transmissa, partem solummodo soluere velit, possessor hoc accipere non tenetur, re non amplius integra. Si vero accipit, ratione residui protestatione non est opus, hac in totam summam iam facta. ⁽²⁵⁾

3) Tertium protestationis genus locum habet, propter imminensem concursum; si nempe cambii possessor percipit, solutionem iusto tempore fieri non posse. Qui tamen in hoc casu obligatus est, cambium vsque ad solutionis terminum retinere solutionemque iterum petere.

Protestatione facta, possessor instrumentum protestationis trassanti proximo die cursui publico destinato mittere debet. Quod si spei adhuc locus est, summam in cambio expressam solutum iri, protestationis instrumentum solummodo ei mittit, cambiumque retinet, sin minus, vtrumque mittit. ⁽²⁶⁾

Per modum regressus cambii possessor damni reparationem ab auctore petit, quod statim post recusatam solutionem fieri potest. Petitur autem haec reparatio a trassante

⁽²⁴⁾ *Ord. Camb.* §. 30.

⁽²⁵⁾ *Eodem*, §. 30.

⁽²⁶⁾ *Ex arg.* §. 22. *Ord. Camb.*

sante et quouis indossante ⁽²⁷⁾, inter quos eligere potest, contra quem velit actionem instituire, omnibus in solidum obligatis. Consultius tamen est secundum ordinem procedere, proximumque semper actione persequi, nam praeterito intermedio, praeteritum regressus non tenet ⁽²⁸⁾. Ante omnes tamen contra acceptantem actio est instituenda, hoc enim omisso, contra hunc actio est extincta. Quod si ex his nonnulli non sint soluendo, a reliquis satisfactionem petere potest ⁽²⁹⁾, quod tamen regulam modo datam non tollit, quia hoc casu actio inutilis esset.

Quod ad processum cambialem attinet, is magis adhuc summarius est, quam processus executivus in genere, cum cambium magis probet quam instrumentum guarantee. Inde in Ord. Camb. nostra §. 33. ordinatur; eum qui cambium simpliciter acceptat, aut scriptum suum recognoscit ad soluendum teneri, non admissis exceptionibus.

Quamvis autem processus cambialis sit maxime summarius essentialia tamen processus observari debent. Agitur actione ex cambio, vel verbis, vel per libellum, quod a voluntate actoris pendet. Proponitur actio coram consule. Reus in posterum diem citatur, ubi vel in persona comparere debet, vel per procuratorem mandato speciali

⁽²⁷⁾ Ord. Camb. §. 28.

⁽²⁸⁾ Ord. Camb. §. 28, 29.

⁽²⁹⁾ Eodem, §. 31.

speciali instructum, qui interdum quoque admittitur. Proponitur cambium in originali, ad recognoscendum, vel iurato diffitendum, tam quoad subscriptionem, quam quoad contenta. Admittuntur exceptiones in continenti liquidae, altioris vero indaginis reiiciuntur. ⁽³⁰⁾

Inter eas, quae secundum nostram Ord. Camb. admitti possunt, pertinet exceptio praescriptionis. Nempe omnia cambia *trassata contra quae protestatio non est interposita*, et quae solvens non accepit, vel negotiis suis, vel negligentia possidentis impeditus, quatuor hebdomadum spatio post elapsum terminum solutioni praestitutum praescribuntur. Alias praescriptio triginta annorum obtinet.

Cambia *propria* vero intra annum et diem iure cambiali vtuntur, elapso hoc tempore tantum vim chirographi habent. Post quinquennium autem cambia non renouata nullo modo exigi possunt.

Sed expresse reiiciuntur exceptio non numeratae pecuniae, plurium debendi reorum, beneficii diuisionis, et cessionis in potentioem. ⁽³¹⁾

Socio cambiante, societas obligatur, quatenus id voluntate eius vel mandato factum est ⁽³²⁾. Exceptiones sequuntur replica, et duplica, et tandem sententia iudicis.

Remedia

⁽³⁰⁾ Ord. Camb. §. 35.

⁽³¹⁾ Eodem, §. 33.

⁽³²⁾ In eo casu secundum §. 7. Ord. nostrae Camb. societas indistincte obligata videtur. Sed haec limitatio facienda ex Ref. Francof. P. II. T. 23. §. 9.

Remedia suspensiva etiam in negotiis cambialibus locum habent, non vero ad effectum suspensivum. Solvendum est, sed reformata sententia in altera instantia, solum restituitur ⁽³³⁾. Condemnato itaque debitore, non obstante remedio suspensivo, a iudice primae instantiae, etiam intra decendum, executivae proceditur. Hoc fit tam assignatione bonorum quam aresto personali, prout securitas creditoris id suadet. Interdum quoque ex speciali ratione solum deponitur. ⁽³⁴⁾

§. 9.

De concursu.

Moto concursu omnibus creditoribus commune ius in bona credarii competit. Itaque creditores cambiales cambialiter agere nequeunt, nisi quoad arestum personale. Secundum ius commune creditores cambiales in ultimam classem collocantur, cum chirographariis simplicibus annumerentur, nisi sint pignore vel privilegio muniti.

Idem quoque obtinet in Reform. nostra P.I. T. 49. Dantur tamen nonnullae exceptiones, quas hic adducere operae pretium videtur.

Prima exceptio est, si quis pignore est munitus. Tunc enim eum sibi vindicat locum, qui pignoribus est destinatus.

⁽³³⁾ *Ord. Camb.* §. 35.

⁽³⁴⁾ *SPAN* I. c. pag. 109.

natus. Arestum tamen in bona debitoris impetratum, ius pignoris non constituit. (1)

Si autem creditor ante concursum motum pignus accepit, ad massam id conferre non obligatur, nisi debitum cum omni causa sit solutum (2). Ceteris tamen creditoribus liberum est, pignus reluere, aut plus licitanti tradere, aut taxatum creditori in solutum dare, qui in hoc casu ad accipiendum est obligatus.

Si creditor pignus pluris vendiderit, residuum ad commoda massae pertinet, sin autem minoris, creditor cambialis ratione residui reliquis creditoribus concursus aequiparatur.

Secunda exceptio, quae in commercii fauorem tantum est introducta, in eo consistit; quod, si quis ante motum concursum a debitore merces vendendas, aut alio modo custodiendas accepit, et deinceps cambialia negotia cum eo tractauit, eas pro summa credita seruare, et nil nisi residuum ad massam concursus conferre teneatur. Hoc iam dudum inter mercatores vsitatum erat, quod ex Ord. Camb. d. a. 1666 §. 20. adparet. Sed in nouissima Ord. Camb. §. 54. haec separatio generaliter, cuique possessori bonorum creditarii iusto titulo possidenti permittitur.

Excipitur tertio casus, si creditarius octo dies ante motum concursum dolose merces mutuas accepit, et cambialiter sese obligauit; venditor exstantes extra concursum

vindi-

(1) Ord. Camb. §. 49.

(2) Eodem, §. 50.



vindicare potest, cum per contractum dolosum dominium non transferatur. Etiam si credarius vendiderit, emtor autem pretium non soluerit, creditor pretium ab eo petere potest. (3)

Dolus autem praesumitur, si credarius intra octo dies ante motum concursum merces recipit. Si ante hoc tempus mutuatio facta est, dolus a venditore probandus. Mercibus autem non amplius exstantibus, et soluto ab emtore pretio, hoc privilegium cessat, nisi probetur, emtorem statum insolventiae debitoris scivisse, ideoque in mala fide versari.

Hoc praecipuum ius iis quoque tributum, qui merces per mandatum vendendas (*in Commission*) dederunt, quod aequitati naturali maxime est congruum. In his concursus nil mutat, cum dominium non sit translatum, sed adhuc penes committentem sit. Ideoque rei vindicatio ei competit.

Sequitur porro, si credarius merces vendidit, et pretium nondum accepit, nec sibi nec creditoribus ius exigendi competere, sed soli committenti (4). Nisi inter committentem et commissionarium contractus aestimatus intercessit, quo nempe dominium in commissionarium transfertur. Et in hoc casu committens res extra concursum vindicare nequit.

F 2

Ad

(3) SPAN I. c. cap. 18. §. 129. ORTH *Ann. zur Fr. Ref.* Th. I. pag. 185. Eodem, Forts. I. pag. 652.

(4) *Ord. Camb.* §. 52 et 53.

Ad impedienda autem dissidia in Ord. Camb. nostra §. 53. ordinatur; omnes commissionarios, — nisi contractus aestimatorius intercedat — si merces maioris pretii quam centum Thalerorum acceperunt, obsignata scheda nomen emtoris committenti tradere debere. Quo non facto, pretium a commissionario repeti potest. Committenti autem non licet in schedam inspicere, sed soluto sibi pretio obsignatam commissionario remittere tenetur, nisi moto concursu. Si contra hoc agit, commissionario est satisfaciendum. Haec autem observatio nobis restat, quod, si in aliis locis incolae francofurtensibus in concursu praeferuntur, id iure retorsionis apud nos quoque observetur. (5)

§. 10.

De communione bonorum.

Pergo nunc ad communionem bonorum inter coniuges vsitatam, quam praetereundam non censui, cum haec quoque mercaturae commodis aliquatenus inseruiat.

Haec Romanis incognita fuit, vbi mulieres praecipuis pro tuenda dote gaudebant priuilegiis, et in paraphernalibus quoque marito nec vsusfructus, nec vllum aliud ius competebat. Apud Germanos vero aliter sese res habuit. Communio bonorum, et praesertim circa adhaerentem coniugalem iam antiquissimis temporibus apud eos vsitata

(5) *Ord. Camb.* §. 47.

visitata erat, et ad medium vsque aeuum se propagauit, quod multae paroemiae, et leges satis probant. (¹)

In iis autem locis, vbi magnae fiebant negotiationes, maxime communio bonorum est introducta, cum augeat fidem, sine qua commercia florere non possunt.

Hoc principium quoque maiores nostri sunt secuti, et hanc dispositionem Reformationi nostrae inseruerunt, quae pluribus locis de ea loquitur. Praesertim autem huc facit: P.III. T. 5. et P.V. T. 4, 5, et 7. in quibus locis sic ordinatur: Constante matrimonio omnia bona coniugum indistincte quoad vsum sunt communia, siue sint illata, siue alio modo acquisita (²). Distinctio tamen adest inter bona illata, et constante matrimonio acquisita, in quorum posterioribus cuique coniugi dimidium competit. Verbis Ref. nostrae P.V. T. 7. §. 2. *auch seinem halben Theil der errungenen Güter nach seinem Gefallen zu testiren, oder zu verschaffen.* Quae distinctio apud veteres Germanos iam inualuit. Hae Reformationis nostrae dispositiones postea pluribus Senatus consultis adcuratius sunt determinatae.

Olim quaestio controuersa fuit, an in successione coniugum qualitas bonorum iuxta tempus illationis aut mortis diiudicari debeat. Ratione mobilium argumenta, quae

F 3

(¹) Vid. e. g. Spec. iur. Saxon. Lib. I. art. 51. et Spec. iur. Suev. cap. 46.

(²) Ref. Francof. P. III. T. 5. § 1.

in vtramque partem proferri possunt, exhibet ORTHIVS, in den Anmerk. zur Franckf. Ref. Th. I. pag. 694 in Deductione sub Lit. D. Cum vero super hac re plures lites orientur, Ampl. Senatus per Decretum de 24. Iunii 1734 sanxit: qualitatem bonorum illatorum defuncti secundum tempus illationis esse diiudicandam, ita vt, si secundum §. 1 et 2 coniux intestatus haud conditis pactis dotalibus moriretur, et bona eius illata nondum mutata essent, successio coniugis superstitis ad normam Reformationis P. V. T. 4. ordinari, sin autem bona mutationem aliquam passa essent, ad hanc mutationem respici haud deberet.

Cum etiam ICTis non vna eademque fuerit sententia, an portio statutaria coniugum diminui possit? Senatus per interpretationem authenticam Concluso de 21. Sept. 1738 decidit: vt deficientibus pactis dotalibus portio statutaria, tam in casu testati, quam intestati, respectiue aut in dimidia parte, aut tota hereditate mobilium, et vsufructu immobilium consisteret, salua ibidem §. 6. ratione vitrici, et nouercae, contenta restrictione, qui vltra portionem filialem, si dimidium bonorum mobilium hanc quantitatem excedat, capere non possunt; dimidia pars adquaestus autem per se vtrique coniugi iure dominii competeret. Dispositio quoque Reformationis P. V. T. 7. §. 1, in hoc concluso §. 3. repetitur, secundum quam alteri coniugi portionem statutariam neque testamento, nec alio modo adimere, aut diminuere licet. Simulque §. 4. prius decedentis coniugis testandi facultas ita determinatur,

vt

vt solummodo de aliis suis bonis praeter portionem statutariam relictis, pro lubitu disponere liberum ei sit.

Quoad successionem coniugum distinguendum est inter bona illata, et ex hereditate delata. De his cautum est ⁽³⁾, vt, si nulla pacta nec liberi legitimi adsint, superstes omnium immobilium defuncti vsumfructum ad dies vitae, mobilia autem omnia proprietatis iure haberet. Liberis autem defuncti exstantibus ⁽⁴⁾ immobilia omnia vt et mobilium dimidium proprietatis iure ad eos spectat, et vsusfructus, nec non pars mobilium dimidia, penes patrem, matremque legitimos proprietatis iure remanet. Superstiti quoque coniugi ⁽⁵⁾, bonorum ad liberos cum defuncto procreatos deuolutorum vsusfructus ad dies vitae debetur.

Quoad bona constante matrimonio acquisita primum se offert casus, si alter coniux seorsim negotietur ⁽⁶⁾. Tunc enim ex alterius negotiatione, quae ab allegante probanda, prouenientia bona communia non sunt ⁽⁷⁾, sed tantummodo adquirenti propria, et ad eius liberos, si exstant, traeseunt. Ceterum alia acquisita superstes, siue mobilia sint, siue immobilia, liberis nullis relictis, alteroque coniugum mortuo, pleno iure retinet. ⁽⁸⁾

Liberi

⁽³⁾ In *Ref. Francof.* P. I. T. 4. §. 3.

⁽⁴⁾ Eodem, §. 5.

⁽⁵⁾ Eodem, §. 7.

⁽⁶⁾ *Ref. Francof.* P. V. T. 5. §. 2.

⁽⁷⁾ Eodem, §. 5.

⁽⁸⁾ Eodem, §. 9.

Liberi vero si exstent, alteram partem dimidiam adquisitorum capiunt, alteram autem parens verus, vna cum vsufructu. ⁽⁹⁾

Quod ad solutionem aeris alieni attinet, hanc materiam Vir Clarissimus ORTH solide et docte illustravit ⁽¹⁰⁾, ad quem eum, qui plura de hac re scire cupit, remitto. Mihi tantum notatu dignissima ex Reformatione nostra, et Senatus Concluso de 24. Iunii 1734 supra allegato excerptere liceat.

De debitis ante matrimonium, vel eo constante contractis, eorumdemque solutione Reformatio nostra disponit ⁽¹¹⁾: quod superstes coniux, qui vsufructum immobilium bonorum habet, et proprietatem omnium, aut dimidiae partis mobilium, omnibus creditoribus satisfacere debeat. Liberum tamen ei est, ob nimium aes alienum, bonis immobilibus et mobilibus renunciare, tunc enim vltra debita propria non tenetur ⁽¹²⁾. Si non renunciavit, pro rata soluendum ei est ⁽¹³⁾. Permittitur quoque superstiti sua bona a defuncti bonis separare, et portioni statutariae renunciare, quod propositum intra triginta dies a tempore mortis defuncti coram Collegio Scabinorum, vel in iudicio proferendum est ⁽¹⁴⁾. Coniugibus

⁽⁹⁾ *Ref. Francof.* P. V. T. 5. §. 10.

⁽¹⁰⁾ *In den Anmerk. zur Franchf. Ref.* Th. I. pag. 575-588.

⁽¹¹⁾ P. III. T. 7. §. 2.

⁽¹²⁾ Eodem, §. 3.

⁽¹³⁾ Eodem, §. 4.

⁽¹⁴⁾ Eodem, §. 8.

bus mercaturam vna exercentibus, hoc beneficium haud conceditur, quippe qui creditoribus in solidum obligati sunt ⁽¹⁵⁾. Idem constitutum est ratione opificum, vinitorum, et mercenariorum. ⁽¹⁶⁾

Senatus Conclusum supra allegatum porro de iactura massae ordinat: si durante matrimonio vel nihil, vel non tantum est adq̄sistum, vt illata, vel quae alio modo alteri coniugi debentur, restitui possint, id quod deest, ab vtroque coniuge, vi societatis bonorum coniugalis, pro dimidio est ferendum, et successio statutaria non ab omnibus bonis, sed ab iis tantum, quae restant, quaerenda.

Quod tamen de solutione partis dimidiaae debitorum dictum est, exceptionem patitur in personis §. 12 et 20 nominatis. Hae enim omnia quae emunt, in commoda commercii, opificii, et communis vsus collocasse, praesumuntur, quae praesumptio probandi onus in aduersarium deioluit, contrarium asserentem. Notandum etiam est, memoratas personas, quibus beneficium renunciationis et separationis denegatur, in defectu bonorum communium, ex propriis bonis ad soluenda debita teneri. Quaenam autem bona hic intelligenda sint, tum indicant verba initialia §. 20, tum tenor ipse huius §phi. Solutio enim praestanda est ex bonis in matrimonium, et communionem reuera illatis, quae tempore mortis adhuc in massa
commu-

⁽¹⁵⁾ Eodem, §. 12.

⁽¹⁶⁾ Eodem, §. 20.

communi fuerunt. Sic e. g. vidua non obligatur ex bonis, quae post mortem mariti ei obuenerunt, tale aes alienum luere; quod §. 13. verbo *zugebracht* confirmatur. (17)

De casu, quo quis inscia vxore, debitum cum Iudaeo contraxit, vid. Reform. nostram. P. II. T. 12. §. 3. (18)

Vtile quoque, et necessarium duco, hanc adhuc attingere quaestionem: an scilicet vxori et parentibus, a praemortuo legitima debeatur, si nil nisi mobilia illata, vel mere acquisita reliquerit? Affirmat vir clarissimus ORTH, et pro stabilienda sua sententia, maxima laude celebratos ICTOS allegat (19). Exemplum autem apud eundem legitur, quo, ratione mere acquisitorum, patri legitimam petenti haec recusata est (20). Sed nunc controuersia haec in supra laudato Senatus Concluso decisa, et maior fauor legitimae, quam portioni statutariae tributus est. Ita enim disponit; quod, si in matrimonio, deficientibus liberis, et pactis dotalibus, mobilia tantum inueniantur, vel massa hereditaria duntaxat acquisita contineat, et coniux prius fato perfunctus de sua dimidia adquaestus, neque per testamentum, neque alio modo stauerit, parentibus suis vinis legitima salua sit, et a coniuge superstite absque mora extradi debeat.

§. II.

(17) ORTH *Anmerk. zur Franckf. Ref.* Forts. II. pag. 131.

(18) ORTH *Anmerk. zur Franckf. Ref.* Forts. I. pag. 145.

(19) Eodem, Forts. II. pag. 533 sq.

(20) Eodem, pag. 573.

§. II.

De libris mercatorum.

Secundum ius commune omne instrumentum contra scribentem probat, non vero pro scribente ⁽¹⁾. Sed multae leges prouinciales, et praesertim Reformat. Francof. P. I. Tit. 31. §. 12. id mercatorum libris concesserunt, vt, si requisita praescripta habeant, accedente iuramento supplementario, quod a mercatore praestandum, vel eo mortuo ab heredibus suis in credulitatem, vel aliis probandi mediis ⁽²⁾, plenam officerent probationem.

Verum huius dispositionis fundamentum neque in commerciorum fauore, neque in cura et ordine, quo isti libri conscribi solent, ponendum est, sed in eo tantum; quod sine fide mutua commercia florere non possint. Venditor enim absque chirographo emtoris promissioni stare tenetur, nil ergo magis iustum est, quam vt emtor etiam venditoris annotationi fidem faciat.

Vt autem liber mercatorius talem probandi vim habeat, requiritur:

- 1) Vt sit liber principalis. Diarium seu aduersarium non sufficit, nisi ex speciali causa, si nempe id quod actum est inter partes tam subito iudicio proponitur, vt libro principali inscribi non potuerit. In hoc autem casu per se clarum est, diario omnia libri principalis requisita inesse debere. ⁽³⁾ Sunt quidem qui diario maiorem fidem tribuant, quam libro principali, cum omnia

G 2

prius

⁽¹⁾ L. 5, 6, 7, Cod. de probat.

⁽²⁾ ORTH *Anmerk. zur Franckf. Ref.* 4te Fortsetz. pag. 667.

⁽³⁾ ORTH *Anmerk. zur Franckf. Ref.* Tom. I. p. 178.

prius ibi notentur, quam in codice principali collocentur. Sed plurima statuta, et praesertim Ref. Francof. tantum libro principali hoc privilegium concedunt. Ideoque aduersarium in subsidium tantum locum libri principalis occupare potest.

- 2) Ut nulla falsitatis suspicione laboret. Itaque liber principalis in omnibus cum diario conuenire debet, cuius productio quoque ab aduersario postulari potest (4). Nihilque erasum, deletum, vel superscriptum esse debet, sed error, si quis irrepsit, notetur.
- 3) Sit compactus et paginae notatae.
- 4) Tantum ea contineat, quae ad mercaturam spectant (5).
- 5) Contineat data et accepta, causas et genera obligationum, nomen emtoris, adiecto quoque die et Consule.
- 6) Producatür in originali.

Hisce requisitis praedito libro fides est habenda, adeo, ut tam quantitas debiti, quam causa debendi inde probari possit (6). Modo ipse producens nulla fraudis suspicione laboret. Nec tamen nocet, si librarius, aut alius, quem mercator negotiis suis praeposuit, codicem conscripserit. Quamuis sint, qui hoc negent.

Hoc privilegium gaudent omnes, qui in numerum mercatorum referri possunt. Ideoque ad fabricatores et redempto-

(4) CRAMER *Wetzl. Nebenst.* Th. 73. pag. 143 sq.

(5) ORTH l. c. pag. 175.

(6) Si non omnia adsunt requisita, tamen *omnis* fides non tollitur. MEVIVS ad ius Lubec. P. V. T. 6. art. 7. n. 22. et Reform. Francof. tantum requisita principalia adesse iubet. ORTH l. c. pag. 184.

demtores recte extenditur. Nec dubium est, etiam argentiariis competere, cum eadem ratio subsit (7). Etiam libris tabernariorum et opificum hoc ius tribuitur. (8)

In libris mercatoriis Iudaeorum distinguendum est, an in ciuitatem recepti sint, nec ne; vbi in priori casu eadem fides eis est habenda, quae Christianis, non obstante iure romano, quod inepte hic applicatur, cum haec lex ex iure germanico descendat. Ne tamen libri eorum lingua iudaica sint conscripti. (9)

G 3

Exclu-

(7) Contrariam sententiam defendit STRYBEN, in *den rechtl. Bedenken* Tom. IV. resp. 44.

(8) *Ref. Francof.* l. c. §. 13.

(9) Attamen exempla inueniuntur, vbi liber mercatorius, iudaica lingua conscriptus semiplenam fecit probationem. Hoc in vrbe nostra accidit die 1. Aug. 1774, quo in causa Iudaei NATHAN SALOMON Stermedensis, contra Io. CHRIST. TAEMAR ciuem et lanificum nostrae vrbis, per decretum permissum est iudaeo, vt librum suum in hac vrbe produceret, et veritatem debiti exinde probaret. Et si ille lingua hebraica sit conscriptus, in praesentia duarum personarum, quae instrumenta hebraica inter iudaeos conficiunt, et ideo iuramento sunt obstrictae, quos *Beglaubte* vocant, debitam summam ad protocollum transferat, et librum postero die solenniter (*bey der grossen Tora*) iuramento confirmet.

Cum reus ab hoc decreto ad Amplissimum Scabinatum prouocaret, reiecta est prouocatio, ob defectum grauaminum. Hoc decretum quoque in Reuisorio ab ICTIS Rintelensibus approbatum est, die 6. Dec. 1775. Vid. (ORTH) *Recchtsuñdel* Tom. 14. p. 960 sq.

Excluduntur autem ab hoc priuilegio:

- 1) Infames, quia malae fidei suspicione laborant, et ad iuramentum admitti non possunt, quod necessarium est, cum libri mercatorii in plurimis locis semiplene tantum probent.
- 2) Fraudatores, qui dolo suo bonis lapsi sunt. Nec excipiuntur ii, qui fortuna aduersa in istum statum reducuntur, quod Senatus Consulto de 22. Nov. 1758 decretum est.

Huc autem non pertinent ii, quibus in conscribendis libris negligentia imputari potest, cum fides eorum minuat quidem, non tamen plane tollatur.

Probationem contrarii omnino esse admittendam, facillimo negotio colligi potest ex verbis Reform. Francof. *Und der Gegenheil wider solche Bücher keine Gegenbe-
weisung, noch rechtmäßige Vermuthung fürzuwenden hätt.*

§. 12.

De modo recuperandi res amissas, per Bannum Iudaeorum.

Ad mercaturam promouendam atque fidem augendam requiritur quoque, vt res amissae recuperari possint.

Iam veteribus Germanis id semper curae cordique fuit, vt apices iuris romani euitarent; et simplicitatem in iure dicendo obseruarent. Hunc in finem introductus est canon: *Hand muß Hand wahren*, quo dominus contra eum tantum agere poterat, cui rem suam traderat, non autem contra possidentem. Hic canon etiam post receptum ius romanum multis in locis inualuit,
et

et adhuc hodie, praesertim in urbibus, ubi mercatura floret, est in usu.

Nostra autem ciuitas hanc iuris germanici paroemiam non est secuta, sed iuri romano potius adhaesit. Alius autem est modus res amissas recuperandi, nempe *Bannus Iudaeorum* (*), qui in eo consistit, ut intercedente domini Consulis auctoritate pulsator scholasticus Iudaeorum, finita verbi diuini praelectione, aram conscendat, rem amissam aut furto ablatam specificè describat, moneatque, ut, si quis rem emerit, sub poena Banni eam restituat. Simulque denunciât, dominum grata mente pretium solum restitutum. Interdum quoque a domino praemium promittitur, quod tamen ad essentialia Banni non pertinet, sed a mero domini arbitrio pendet.

Multum contra aequitatem huius legis, praesertim ab iis, qui iuri romano nimis adhaerebant, disputatum est. Impediri rei vindicationem aequitati, iuri naturae, et civili congruam, putarunt.

Sed haec oppositio thesin hanc non prosternit. Vbi rem nostram inuenimus, ibi vindicamus, et gratis in dominium nostrum reuocamus. Et haec recuperandi via cuiuslibet patet. Sed in hoc tantum statutum nostrum differt a iure communi, ut res per *Bannum extorta* vindicari

(*) De quo Vir Ill. Hieronymus Petrus Schlosserus auunculus summo studio colendus, dissertationem habuit inauguralem, sub Tit.: De Banno Iudaeorum, quo secundum leges S. R. I. liberae ciuitatis ad Moenum Francofurtensis, res amissae, vel furto ablatæ restituto pretio recuperantur. Vulgo vom *Iuden-Schul-Bann*. Altdorf 1757.

cari nequeat, sed pretium sit restituendum. Nemo autem cogitur hanc viam ingredi. Qui autem est ingressus, tam commoda quam incommoda connexa ferre tenetur.

Si dominus pretium restituere recusat, Iudaeus rem retinere potest, donec sit solutum. Et praeterea in hoc casu omnia ei competunt beneficia, quae Christiano.

Hic quoque bannus optimo iure ad omnes casus extendi potest, quibus quis de nouo quasi emere, quam rem non possidere, mauult (2). Nam per bannum cum Iudaeo talis contractus initur, qualis cum negotiorum gestore, qui rem alias perituram seruat. Sunt tamen casus quidam, in quibus dominus rem suam per bannum recuperare potest, et tamen ad restituendum pretium non est adstrictus. Nempe:

- 1) Si ipse restituens fur sit, aut gratis acceperit.
- 2) Si quis rei vindicationem metuens, dolo bannum iudici curauit, eo fine, vt pretium sibi restituatur.
- 3) Si res ad eas pertinet, quarum commercium Iudaeis est interdictum (3). Nam qui contra leges peccat, frustra auxilium earum implorat.

Denique autem quaeritur; an auctor sit nominandus, a quo Iudaeus rem accepit? Hoc diu controuersum fuit. Iudaei negant. Lex nil determinat. Sed cum intersit reipublicae, fures nosse, vt ciues sibi praecauere possint, ne in damnum incurraunt, verior sententia affirmatiua videtur.

(2) Hoc elegantur exponit: AVVICVLVS SVMME VENERANDVS, in iam laudata dissertatione §. 15.

(3) Nominantur quaedam in §§. 65, 69, 90 etc. *der Stättigkeit*.

52
videtur. Cum qua etiam conuenit analogia legis toleran-
tia §. 7 quae sic disponit: *welre es auch, das einiger Iudt*
oder Iudin ohnwissendt also auf solche ihnen zugebrachte
Sachen geliehen oder gekauft hette, der oder dieselbige
sollen auf der Herrn Burgermeister Begehren, denjenigen
so ihnen solches zu Haus gebracht anmelden undt nahm-
haftt machen bey gemelder Straff. Quae uerba licet non
praecise de hoc Banno agant, tamen, cum eadem sit ratio,
huc extendi possunt.

§. 13.

De licentia Iudaeorum maiores percipiendi vsuras.

Hic non abs re erit, pauca disserere de licentia Iu-
daeorum maiores percipiendi vsuras.

In Reformatione nostra cuilibet vsuras 5 per Centum
sumere licet. In Iudaeis autem aliud obtinet, cum §. 58
der *Stättigkeit* de anno 1616. in fine, sic disponat:
Und dann letzlich durch den von Ihrer Kayserlichen Ma-
jestät confirmirten Abschied ein gewisser modus vsurarum,
oder interesse determiniret, nemblich acht Gulden vom
hundert uff Pfandt, und zehen uff Handschrift. Als soll
es diefsfalls bey obberegetem Abschied verbleiben, und ein
mehreres nicht verschrieben, gefordert, oder gegeben werden.

Qui autem plus recipiunt, quam in mutuum dede-
runt, vel vsuras licitis maiores, in poenam usurariae
prauitatis sortem amittunt. Ita ordinat Reform. Francof.
P. II. T. 12. §. 4.

In hanc poenam indicisse eos quoque putat Vir doctissimus LANGER ⁽¹⁾, qui hoc sibi scribi tantum curauerint, nec actu iam aliquid acceperint.

Obstare

(1) In dissertat. nuper habita, sub Tit. observationum iuris patrii decas. Moguntiae 1795. *Observat. V.* Exemplum, vbi Iudaeus quidam ob vsurariam prauiitatem poenam subiit, recenset Ill. ORTH in seinen *Rechtshändeln* Th. I. pag. 77 sq. Nempe anno 1750 Iudaeus quidam super cambio contra Christianum actionem mouit. Reus cambium recognouit quidem, sed solutionem eius ob improbum foenus a Iudaeo perpetratum recusauit. Nihilo tamen minus sententia ad soluendum, vel deponendum condemnatus est. Christianus separato processu contra Iudaeum egit. Acta transmissa sunt Marburgum, vbi anno 1752 haec sententia publicata est: *Würde Wiederkläger in maffen ihm vor allen Dingen zu thun obliegt, eydlich erhalten, demnach das gegenwärtiger in Frage gekommene Wechsel derjenige sey, welchen er 1741 — — aufgenommen, auch nachher 1744. 50 Gulden darauf bezahlt, demnächst die Zinsen der 12 pro Cent seit der ersten Aufnahme des gedachten Wechsels bis zur Einklagung abgetragen habe, zur Erfüllung schwören; so ist Wiederbeklagter das, was er über die in der Stättigkeit zugelassenen 10 vom 100 empfangen, sich jährlich am Capital kürzen zu lassen, anbey den übermäßigen Wucher zurück zu zahlen pflichtig. — — Hierüber ist Wiederbeklagter gestalten Sachen nach, die verursachten Kosten — — zu erstatten schuldig. — — Endlich selbiger der angezogenen Forderung der 700 Gulden für verlustig zu erklären, auch gedachte Gelder der Stadtkämmerey aus dem deposito abzufolgen, überdieß Wiederbeklagter seines Wüchers halber in eine Geldstrafe nach Beschaffenheit seines Vermögens, jedoch das sich solche nicht*

Obstare nobis videtur dispositio Reformat. nostrae P. II. T. II. §. 11. quae repetitionem vsurarum ultra 5 per Centum iam solutarum denegat. Sed haec de creditoribus Christianis tantummodo loquitur, qui vsuras 6 per Centum acceperunt. Quod vitio eis non vertitur, cum numerum legalem vsurarum parum tantum sint transgressi. Cuius rei multa quoque inveniuntur praeiudicia. In Iudaeis autem strictius est lex interpretanda, cum lex tolerantiae tanto maiores eis permittat vsuras.

Si vero Christianus maiores vsuras acciperet, quam 6 per Centum, eidem subeunda esset poena, in legibus imperii determinata, iuncta arbitraria pro modo delicti. (3).

Hic non incongruum erit, pauca de pecunia absque vsuris credita disserere.

ORTHIVS, in den Anmerk. zur Franckf. Ref. Th. I. pag. 74 sq. et Forts. IV. pag. 112; ei, qui mutuum dedit absque vsuris, priuilegium personale tribuit, ex arg. l. 24. D. de reb. auct. iud. possid. Et extendit hanc legem, quae de argentariis solum loquitur, in hunc quoque casum. Cui vero sententiae assentiri non possum, cum in Ref. nostra altum de hac re sit silentium, et priuilegium personale in vnico tantum casu concedatur, nempe: si quis ad reficiendas aedes credidit. (4)

Cum

nicht über 100 Reichsthaler erstrecke, billig zu nehmen. V. R. IV. Haec sententia quoque ab inelyta facultate iuridica Goettingensi comprobata est.

(3) ORTH Anmerk. Th. I. pag. 450.

(4) Ref. Francof. P. I. T. 49. §. 14.

Cum itaque lex nostra nil disponat, sententiam sequor
 Viri Ill. I. H. BÖHMERT, qui in *Introduct. in Ius Digest.*
 Lib. X. L. II. Tit. 5. §. 13. ubi de privilegio personali agi-
 tur, dicit: huc referri *pecuniam absque usuris creditam*
Ord. Sax. §. 3, quod de iure civili negandum, cum illud
nullibi cautum legatur. (5)

(5) Eandem sententiam fonet BRUNNEMANN in *processu concur-*
sus creditorum cap. 5. §. 64.

Quoniam, nimis obruto mihi negotiis, hanc dissertationem, imprimis vero
 priores eius plagulas, ex animi sententia corrigere non licuerit, benevolum
 lectorem rogo, ut tam sequentia, quam reliqua, si qua me fefellerint, errata
 corrigere velit.

Pag. 8. lin. 6 ea l. eae.

— 9. — 15 transponerentur l. transponeretur.

— 10. — 9 esse l. esset.

— 10. — 16 servauerentur l. servarentur.

— 10. — 21 omnes l. omnibus.

— 10. — 22 frequentabant l. frequentarent.

— 11. — 4 habebit l. habebat.

— 11. — 17 frequentant l. frequentant.

— 11. — 18 quo soluto, l. qua soluta.

— 13. — 17 obstant, l. obstant.

— 13. — 18 dictatatis l. dictatis.

— 14. — 10 quos l. quas.

— 14. — 11 vacamus l. vocamus.

— 14. — 14 parum l. parvae.

— 17. — 4 prosecutioni, l. prosecutione.

— 18. — 11 subesse l. subesset.

— 20. — 13 Nassauiae l. Nassouiae.

— 21. — 19 casum l. casu.

— 24. — 18 quo foedere l. cui foederi.

1726

T H E S E S.

I.

Foeminam Legibus XII. Tabularum successionis exulem idonea satis argumenta euincunt.

II.

Ius instituendi actionem Publicianam per malam fidem superuenientem non extinguitur.

III.

Transactio ob laesionem enormem non potest impugnari.

IV.

Fratres uterini ad inofficiosi testamenti querelam non admittuntur.

V.

Iuste exheredati in computationem veniunt ad determinandam quantitatem legitimae.

VI.

Contra laudum arbitri ex capite iniquitatis appellari non potest.

T H E S I S

I
The first part of the dissertation contains
an account of the history of the
country of Saxony.

II
The second part of the dissertation
contains an account of the
geography of the country.

III
The third part of the dissertation
contains an account of the
history of the Saxons.

IV
The fourth part of the dissertation
contains an account of the
law of the Saxons.

V
The fifth part of the dissertation
contains an account of the
customs of the Saxons.

VI
The sixth part of the dissertation
contains an account of the
constitution of the Saxons.

IV

P

II



Göttingen, Diss., 1796-97

ULB Halle

3

005 303 338



SB





B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

1796, 10

10

DE
COMMERCIORVM FAVORE

IN IVRE TAM PVBLICO

QVAM

PRIVATO FRANCOFVRTENSI
CONSPICVO

QVAM

AVSPICIIS REGIIS

AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

PROPONIT

DIE XVI. APRILIS MDCCXCVI

CAROLVS FRIEDERICVS STARCK
MOENO - FRANCOFVRTENSIS.

GOETTINGAE

TYPIS IO. CHRIST. DIETERICH.